

233

231

237

227

242

222

282

182

332

132

Ende

Anfang

218

perfecimus, et erat jam facta hora meridiei. Reserato ergo ostio exivimus in nostram curiam, et eam plenam reperimus Sarracenis, Judaeis, Haereticis, Christianis orientalibus diversas res venales habentes, et praecipue ea, quae ad victimum pertinebant. Ibi reperimus pullos et gallinas coctas, lac coctum, pulmenta de farre et de riso cum lacte coctis, panes optimos, ova, uvas et botros dulcissimos, mala granata, poma, pomerancias, angurias, lemunas, ficus magnas et parvas, confecta etiam de amigdalis et melle, et caricas, et quaedam confecta de zukaro et amigdalis et dactilis, et aquas frigidas. Quidam etiam attulit in stangneis vasculis poculum confectum, quo utuntur magni domini Sarracenorum loco vini. Erimus ergo cibaria ad placitum, et in cubilibus nostris manducavimus. Eodem die facto prandio duxit nos Calinus minor, qui dicitur Elphahallo, per civitatem Rama ad vicos mercatorum, et vidimus ibi diversas merces pretiosas et Muschkeas magnas, et ad quoddam aestuarium ivimus, in quo multi peregrini balneabantur cum Sarracenis. Hoc aestuarium sicut et alia Sarracenorum aestuaria miro ingenio et modo aedificatum est, quatuor inclusum turribus, quod de subtus ex fornace per pavimentum stratum pulchro polito et vario marmore calorem transmittit. Vide de aestuariis Sarracenorum multa, et an sit licitum Christianis, cum eis communicare in balneatione, et plura de hoc Part. II. fol. 15. A. B. Visa ergo civitate in locum nostrum reversi sumus; et cum sero factum esset, ejecimus omnes mercatores et ostium domus repagulis obfirmavimus, et ad dormiendum nos locavimus.

Decima die, quae est 7. fratrum, mane ante solis ortum, priusquam Sarraceni et mercatores surgerent, excitati fuiimus ad Missam, et erecto altari in curia nostra quidam de fratribus celebravit, et post Missam intimatum fuit nobis, quod disposeremus nos ad visitandam ecclesiam S. Georii in Dyaspoli, ubi martyrizatus fuit idem Sanctus. In mea prima peregrinatione non poterant nos ducere ad locum illum, quia Arabes villam illam vallaverant, et nos exspectabant, ut spoliarent. Cumque parati essemus, sicut intravimus, ita et exivimus civitatem, et ante urbem asinarios nostros cum asinis paratis reperimus. Cucurrit autem quilibet in gregem

